

Cambridge University Press

978-1-108-05340-2 - Chronicon Henrici Knighton, vel Cnitthon, Monachi Leycestrensis: Volume 1

Edited by Joseph Rawson Lumby

Excerpt

[More information](#)

Twys. col. 2311. COMPILATIO <sup>1</sup> HENRICI DE KNYGHTON  
 CANONICI ABBATHIÆ LEYCESTRENSIS  
 DE EVENTIBUS ANGLIÆ.<sup>2</sup>

Hoc opusculum post præclaros retroactorum eventuum in regno Angliæ et ejus confinibus luculentos cronographos<sup>3</sup> aggressus, quibus rerum gestarum noticiam et morum inde modestiam proficiendo consequendam posteritati adventanti caritatis<sup>4</sup> intuitu desideravi propinare et velut utile dulci consultius inmiscere,<sup>5</sup> malorum videlicet de die in diem imminencium incursum præcavere, cum dulceifluo tripudio historicæ cognicionis<sup>6</sup> [manum scribendi tali desiderio]<sup>7</sup> apponere curavi. Et meæ parvitatatis velle de hiis quæ a diebus pertransitis in dies succedentes tam mirabiliter quam casualiter in regno<sup>8</sup> Angliæ et multociens in ejus confinibus et regionibus adjacentibus diatim emergerunt de magnificis cronographorum gestibus sparsim prout potui ea reperire, in præsentem libellum stilo licet retorto conglutinare desudavi. Et posteris nostris veluti nobis anteriores nostri caritatis poculum hujusmodi propinaverunt. Sub qualicumque exemplari cum aviditate consimili cordis mei, scientiola mea licet

Purpose  
of the  
writer.

His dili-  
gence in  
compila-  
tion

<sup>1</sup> This title is rubricated in Cotton. Tib. C. vii., hereafter cited as A. If we compare the spelling of the author's name in this title with that exhibited in the first letters of the chapters, it will be seen that the title is not of the same date as the text.

<sup>2</sup> This title is not in MS. Claudius E. iii., hereafter cited as MS.

<sup>3</sup> *cronografos*, MS. and A., et infra.

<sup>4</sup> *karitatis*, A.

<sup>5</sup> *immiscere*, A.

<sup>6</sup> *cognationis*, MS.

<sup>7</sup> Not in A.

<sup>8</sup> *rengno*, A.

The province of history.

Appeal to the reader.

The author will draw upon the seventh book of Higden at first.

recalcitrante, dirivare corde tenus concupisco. Igitur historia cum sit nuncia vet statis præteritæ, testis transactorum temporum est, et memoria vitæ bonorum atque malorum norma prælucens hiis qui se regere tam in corpore quam in anima regulariter disponunt. Historia præminentes animæ et corporis sensorum dotes possidendo occupat, suosque quamplurimum sensualiter prærogat possessores. Et cum historia quodammodo dici potest immortalis, cum ea quæ fuerunt oblivioni tradita ad memoriam revocat et quasi recenti animo reducit, et alias peritura si scripta<sup>1</sup> non forent renovat et aliqualicunque quasi morte separata vivificat et aliis post alios succedentibus ut ita dicam perpetuat et thesaurabiliter conservat, ut per ea quæ scripta et lecta conspiciuntur intellecta levius evitent et luculentius provideant mala quæ de die in diem incessabiliter habitantibus terram, pro dolor! emergunt. Iccirco inter cætera lectoris<sup>2</sup> facetiam cum intimis cordis expansis visceribus exposco ne lectitando stadium laboris mei cum subrisu<sup>3</sup> aliquociens aspiciat. Cum sit inter cætera cronographorum florida scripta velut præpatens palia inter tritici grana peroptima: sed<sup>4</sup> pocius voluntatis meæ desiderio quam inertis faciendæ stilo alludendo sitibundus aspiret. Igitur opusculum historiolæ meæ a conquestu regni Angliæ cum adminiculo septimi libri Cistrensis<sup>5</sup> laudiflui cronographi perlucide scribentis, cujus seriem de verbo ad verbum cum aliis quæ aspectui meo sparsim se obtulerant inscribere seriatim propono, telamque eventuum medio tempore in regno Angliæ et partibus finitimis per Anglicos et quandoque aliquosculos alios in reguis aliis partim immiscendo secundum parvitatem stilioli sensus mei usque ad præsens tempus ordiri

<sup>1</sup> *scriptura si non*, A.

<sup>2</sup> *lectores*, A.; and MS. also, but corrected.

<sup>3</sup> From A.; *subrusu*, MS.

<sup>4</sup> *set*, A., and so always.

<sup>5</sup> From A.: *Sistrensis*. MS.

diligenter attentabo, secundum quod deus, fons et origo totius bonitatis et totius scientiæ infusor, venas cordis mei rore pneumatis<sup>1</sup> cælestis, in quo omnes thesauri scientiæ et scientiæ sunt reconditi, sua ineffabili benignitate, licet immerito, irrigare dignatus fuerit de suo speciali dono. Denique plerisque præsens opusculum nostrum forte videretur nimis deficiens, et sic minus idoneum, si in primordio nostræ relationis in adventu Willelmi bastardi in Angliam et conquestum ejusdem nostrum stilum scribendi figeremus, nisi de ejus origine et parentela, videlicet quo titulo quove jure consanguinitatis ut linialiter sub successione progenitorum suorum monarchia regni Angliæ eidem Willelmo attinuerit et inde ad eam aspiraverit, pro nostro modulo præmitteremus. Iccirco ad ejus priores progenitores calamum vertere et linialiter genealogiam<sup>2</sup> ejusdem Willelmi describere et de progenie in progeniem gradatim procedere et a prima stipite parentelæ ejus per ramos donec in ejus personam regni Angliæ rectum heredem perveniam, sub brevitate qua potero enodare curabo. Sicque antequam ad conquestum regni Angliæ procedam quendam parvulum libellum de origine, ortu, et linea consanguinitatis ejusdem Willelmi bastardi quam erga sanctum Edwardum confessorem ultimum regem Angliæ, Harraldo rege intrusore excepto,<sup>3</sup> habebat, præmittere vigilavi per xvj. capitula secundum numerum et seriem literarum vocabuli mei, telam incepti opusculi<sup>4</sup> per capitulares literas ordiendo, ut diligens lector investigare lucide valeat hujus opusculi inquisitorem. Insuper opus inceptum videlicet a conquestu regni Angliæ in v. partes protelare curavi, in quarum duabus primis xvij.

Twys. col.  
2312.

He must  
go back  
beyond the  
Norman  
conquest.

He will  
set forth  
the lineage  
of William  
the Con-  
queror.

Division of  
the work.  
The chap-  
ters of the  
first two

<sup>1</sup> *pneumatis*, MS. and A.

<sup>2</sup> *genologiam*, MS. and A.

<sup>3</sup> *excepto*, from A. In MS. *to* is written above the line, but nothing

to represent the former part of the word.

<sup>4</sup> *sermonis* in A.; but *opusculi* is written over in paler ink.

books to begin with the letters of the author's name.

capitulorum numerum præsentis<sup>1</sup> libelli seriem et ordinem literarum de vocabuli mei expressione sumptarum observando perorare curavi. Tertiam vero partem et quartam propter prolixitatem sermonis et eventuum inexplicabilem concursum et finis incepti operis inexpectabilem visionem absque tali capitulorum ordine transcurrendo annotare lacessitus præoccupavi.<sup>2</sup> Sicque totum laborem præsentis operis in quinque partes sive libellos distinctos protelando orditus sum.

---

[CAP. I.]<sup>3</sup>

Of the expulsion of Edwy, the son of Edmund. The throne vacant for more than a year.

<sup>4</sup> **H**istoriæ tradunt in abbatia Leycestriæ quod post expulsionem Edewini filii Edmundi regis Angliæ quod monarchia regni vacavit per annum et amplius. Qui Edewinus propter malam vitam et propter enormia facta quæ exercuerat contra ecclesiam expulsus est a regno et turpiter ejectus. Et inde procedente tempore fiebant homicidia et scelera multa, atque mala infinita evenerunt in populo pro defectu gubernationis, donec sancti viri de clero et de populo miserunt se in afflictionibus et sine intermissione egerunt pœnitentiam die ac nocte orantes deum ut eos exaudiret et in tanta calamitate<sup>5</sup> misericorditer eis subveniret, donans eis regem talem qui regnum Angliæ sic gubernaret quod cederet ad honorem dei et commodum regni. Et eorum preces ex alto deus aspiciens nocturnali silentio vox divinitus insonuit ut Edgarum adhuc juvenem coronarent

Accession of Edgar.

<sup>1</sup> *præsentis*, MS.

<sup>2</sup> *præoccupavi*, A.

<sup>3</sup> Chapter not marked in MS. or A.

<sup>4</sup> This is the first letter of the compiler's name.

<sup>5</sup> *calamitate*, so MS., but in a later hand. Some word has been written in A., but erased. It may have been *necessitate*.

Twys. col. 2313. in regem. Qui læti divino oraculo Edgarum fratrem Edwini sustulerunt celeriter in regem. Et erat Edgarus xvj. annorum cum regere cœpisset et xxj. annis regnavit in Anglia. In cujus exortu sanctus Dunstanus audivit angelos cantantes [et dicentes,]<sup>1</sup> Pax in terra Angliæ cum plenitudine omnium bonorum dummodo puer iste regnaverit et Edwardus filius ejus post se. Et sic fuit electus in regem et coronatus divino oraculo quod nunquam accidit cuiquam regi Angliæ retroactis temporibus. Et credebatur non esse meliorem eo regem in mundo, deo devotus, bonus et affabilis, humilis, justitiam servans, nec respexit personam cujuscumque in judicio quin judicaret secundum delicti quantitatem et [personæ]<sup>1</sup> qualitatem. In tempore suo non erat latro nec raptor nec prædo, nec qui pacem infringere auderet, quin de eo statim faceret justitiam. Iste Edgarus habuit duas uxores, scilicet Egelfledam, quæ vocata est candida, de qua genuit Edwardum postea regem et martirem, et sanctam Editham. De secunda, scilicet Alfritha filia Edgari, ducis Devonix, Anglice Devenshire,<sup>2</sup> Edgarus genuit Edmundum qui ante patrem suum obiit, [et]<sup>3</sup> Egelredum qui post fratrem suum Edmundum regnavit. Hæc Alfritha post dispensata fuit cuidam Ethelwaldo. Hic Edgarus sanctum Dunstanum per fratrem suum Edwinum exlegatum revocavit.

Angels' song at his accession.

Happy times of his reign.

Of his family.

<sup>4</sup>Higd. vii. 18, 20. Hic Edgarus xxj<sup>o</sup> anno regni sui idibus Julii obiit, apud Glaston<sup>5</sup> sepultus, ubi postmodum sub anno gratiæ millesimo liij. post sepulturam ejus, cum abbas Aykwardus<sup>6</sup> tumulum ejus irreverenter effodisset, inventum est corpus ejus incorruptum et ita corpulentum ut in novo locello ingredi non posset, sanguisque recens ex effossione<sup>7</sup> visus est distillare; sicque super altare cum aliis reliquiis reconditum est. Abbas ille temerator amens effectus exiens de ecclesia fractis cervicibus expiravit.

<sup>1</sup> From A.

<sup>2</sup> *Devonshire*, A.

<sup>3</sup> *et* from A.

<sup>4</sup> The references to Higden are made to the volume and page of

the edition already published in this series.

<sup>5</sup> *Glastoniam*, Higd.

<sup>6</sup> *Aykwardus*, Higd.

<sup>7</sup> *ex effossione*] de corpore, Higd.

Election of  
Edward,  
Edgar's  
son,  
through  
Dunstan's  
influence.

His murder.

Edwardus filius Edgari juvenis auxilio Dunstani Cantuariensis archiepiscopi ceterorumque episcoporum in regem sublimatur contra voluntatem quorundam optimatum et potissime novercæ suæ Elfrithæ quæ filium suum Egelredum septennem in regem erigere conabatur, ut sic ipsa potius sub nomine ejus imperaret. Iste Edwardus regnavit tribus annis et dimidio in sublimitate. Cumque Edwardus adhuc juvenis quadam die pergeret venatum dispersis commilitonibus suis in silva accidit ut solus lassus rediret per hospitium Elfrithæ novercæ suæ, quæ læta [quod]<sup>1</sup> opportunitatem nocendi nacta esset vultum quam hillarem ei prætendebat et gaudifluo honore eum recipiebat, et osculabatur eum fervide, et dum ipse hiberet percussit eum una sica, at ille percussus sic equum suum urgebat redire ad socios suos, agitato equo uno pede<sup>2</sup> lapsus alteroque per devia tractus undante cruore apud Corvisgate signa mortis dedit suis militibus, monstrando causam suæ interemptionis.

Tunc ipsa ignobiliter apud Warram<sup>3</sup> per triennium habitante,<sup>4</sup> sepulto arriserunt<sup>5</sup> divina miracula, nam cælesti luce de summis emissa claudus recepit gressum, mutus, surdus, cæcus organum cupitum, omnis denique invalido sospitatis sumpsit statum. [Quo]<sup>6</sup> rumore attonita interfecit ipsius dirigit se tumbam ipsius visitare, et in jumento<sup>7</sup> vecta quod quidem nec flagris nec clamoribus minari potuit, mutatoque sæpius jumento id idem attemptavit nec proficere valuit. Unde quod per seipsam non potuit per alium efficit, nam Elferus minister ejus corpus Edwardi apud Septoniam, quæ modo Schaftisbure, solemniter tumulavit. Succedente tempore pars corporis ejus apud Leof monasterium juxta Hertford,<sup>8</sup> pars apud Abendoun translatum est, locus vero apud Septoniam ubi pulvis ejus adhuc integra

Higd. vii.  
34, 36, 38.

Twys. col.  
2314.

<sup>1</sup> From A. Written above in MS. by a later hand.

<sup>2</sup> *pende*, MS.

<sup>3</sup> *Warham*, Higd.

<sup>4</sup> *habitante* added on margin of A.

<sup>5</sup> *arriserant*, MS. and A.

<sup>6</sup> From A.

<sup>7</sup> *jumenta*, A.

<sup>8</sup> *Herford*, A.; *Herefordiam*, Higd.

viriditate palpitat Edwardstowe<sup>1</sup> nuncupatur. Pro hac autem interfectione Elfritha construxit duo monasteria fœminarum, et ipsa deposita terrena pompa diu et dire pœnituit, [jugiter]<sup>2</sup> in cilicio et jejunio corpus frangens, cruces quas potuit insuper fronti<sup>3</sup> et pectori imprimens, nec tamen omnino vindictam evasit. Elferus prædictus post annum a tumulatione prædicti martiris a pediculis et vermibus est consumptus.

## [CAPITULUM II.

DE EGELREDO.]<sup>4</sup>

Higd. vii. 40. <sup>5</sup> **E**gelredus filius Edgari ex secunda uxore Elfritha post occisionem fratris sui Edwardi in regem levatus 38. annis regnum potius obsedit quam rexit. Nam vitæ suæ cursus sævus et infaustus fuit; in principio miser, et<sup>6</sup> in medio et in fine turpis et reprobus. Dum beatus Dunstanus eum baptizaret ventris fluxu fontem sacrum fœdavit, unde turbatus Dunstanus dixit, “per deum iste si vixerit ignavus erit.”

Iste Egelredus<sup>7</sup> vocatus est bastardus eo quod ex secunda uxore sit natus. Iste tenuit regnum in magna angustia, labore et ærumnis; nec mirum, quia sic felonice et injuste intrusus est in regnum. Insuper adeo malificiosus erat, quod semper erat rancor et contentio inter ipsum et majores regni. Et adeo cupidus fuit, quod omni tempore suo sollicitudinem habuit qualiter posset cum aliqua cautela [et]<sup>8</sup> circumventionem causam qualemcumque fucatam

Of the evil times of Egelred [Ethelred].

<sup>1</sup> *Edwardstowe*, MS.

<sup>2</sup> From A.

<sup>3</sup> *fronti*, A.; the word is very indistinct in MS., and instead of *insuper* the reading appears to be *in*.

<sup>4</sup> From A. Neither chapter marked nor title in MS.

<sup>5</sup> Second letter of the compiler's name.

<sup>6</sup> *et*, om. A.

<sup>7</sup> *Egelbertus*, MS. errore.

<sup>8</sup> From A.

conjecturare, rapere et spoliare bona religiosorum terræ :  
et primo regnavit pacifice x. annis usque ad obitum  
sancti Dunstani qui in die coronationis Egelredi Higd. vii.  
protulit hoc oraculum, “ Quoniam aspirasti ad regnum <sup>40, 42.</sup>

“ per mortem fratris tui in cujus sanguine conspiraverunt  
“ Angli cum ignominiosa matre, non deficiet ab eis sanguis  
“ et gladius donec populus ignotæ linguæ perveniens eos ad <sup>1</sup>  
“ ultimam redigat servitutem; nec expiabitur <sup>2</sup> hoc delictum  
“ nisi longa vindicta.” Cum autem ipse Egelredus <sup>3</sup> puer  
decennis ploraret fratrem suum sic necatum, in tantum  
commovit matrem furentem ut ipsa aliud flagellum ad  
manum non habens arreptis <sup>4</sup> cereis candelis ipsum pæne ad  
mortem flagellavit. Quamobrem in omni vita sua lumen  
cereum exhorruit. Egelredus genuit ex Ethelgiva filia  
Egberti comitis Edmundum cognomento ferreum latus, Ed-  
wynum, Ethelstanum, et filiam Edgivam; postmodum duxit  
uxorem Emmam filiam Ricardi primi, ducis Normanniæ,  
qui fuerat tertius dux Normanniæ, de qua genuit Alfredum  
et Edwardum.

Rex Egelredus propter quasdam dissensiones inter ipsum Higd. vii.  
et Roffensem præulem, urbem Roffensem obsedit, et mandat <sup>50.</sup>  
ei Dunstanus ut furori desistat nec sanctum Andream loci  
patronum irritet. Mandato ejus contempto mittit ei centum  
libras ut obsidionem solvat. Quibus acceptis miratus Dun-  
stanus ei mandat, “ Quia prætulisti aurum deo, argentum  
“ apostolo, propter <sup>5</sup> cupiditatem tuam venient cito super te  
“ mala, sed non me vivente.” Biennio igitur post hoc mortuo  
Dunstano [venerunt Dani], <sup>6</sup> venerunt et duæ a retro seculis  
incognitæ pestes in Anglia, scilicet febris hominum, lues  
animalium quæ Anglice schitta, Latine fluxus interaneorum, Twys. col.  
vocatur. <sup>2315.</sup>

Interea Dunstano mortuo, Dani venerunt in Angliam, Higd. vii.  
quasi in quolibet portu Angliæ; unde nesciebatur qua parte <sup>54, 56.</sup>  
illis occurrere <sup>7</sup> possent, <sup>8</sup> unde consilio Sirisii <sup>9</sup> archiepiscopi  
successoris Dunstani tributum annum solvant. Primo

<sup>1</sup> in, A.

<sup>2</sup> *expiabitur*, MS. and A.

<sup>3</sup> *Egelgerus*, A.

<sup>4</sup> *areptis*, MS. and A.

<sup>5</sup> *propter* omitted both in MS.  
and A., but added on the margins.  
MS. has in text *populo*.

<sup>6</sup> *venerunt Dani*, from A. The  
words are in Higd.

<sup>7</sup> *occurrerent*, MS.

<sup>8</sup> *possent* added in marg. of A.

<sup>9</sup> *Sirisii*, Higd.



## LEYCESTRENSIS CHRONICON.

9

anno x. millia libras. Secundo anno xvj. millia. Tertio anno xx. millia. Quarto anno xxiiij. millia. Quinto anno xxx. millia, tandem xl. millia donec pecunia deficiebat in Anglia. Et tunc redierunt iterum ad rapinas, Northimbriam deprædantes et Londoniam obsidentes coegerunt regem tributum dare. Interea Anlafus rex Danorum per Elphegum episcopum Wyntonensem datis obsidibus ductus est ad regem Egelredum, quem rex Egelredus levavit de sacro fonte, et idem episcopus eum confirmavit, unde ille deinceps nil nocens ad propria remeavit.<sup>1</sup>

Nec ex hoc hostes pacificati, sed majus crescentes Angliam spoliaverunt. Verum etiam cum in re publica quamplurimum præsentia ducis valet spectata, visus ejus audacia et bellandi adortatio et disciplina, hæc in Anglia totaliter novercabantur diebus hujus Egelredi. Nam in collectione exercitus, in fabricatione navium, in adjuvatione consilii magnatum et communitatis nihil prosperum provenit. Nam populus non regulatus sed cupiditate allectus rapinas nimis assuevit; corde tabescens de facile fugiebat; et quod mirum est, tempestas naves quassavit, et reservatas manus inimica diripuit, incendit et submersit. Proceres quoque regni si quando ad consilium congregati potius de singularibus et inutilibus quam de communibus negociis consultabant, et ideo eorum consilium more puerorum inanuit.<sup>2</sup> Et si quid utile decrevissent, Edricus comes Salusburiensis fidelem se ostendens sed actu proditor inimicis revelat.<sup>3</sup> Ricardus primus, dux tercius Normanniæ, obiit cui successit Ricardus secundus, dux quartus Normanniæ, 28. annis, qui præ nimia bonitate vocatus est bonus.

Higd. vii.  
84.

Rex Egelredus duxit uxorem Emmam filiam Ricardi primi, ducis tertii Normanniæ, quo proventu elatus jussit omnes Danos in Anglia una nocte occidi, quod et factum est in nocte sancti Bricii.<sup>4</sup>

<sup>1</sup> *ructavit*? MS.

<sup>2</sup> *patuit*, MS. by a later hand.

<sup>3</sup> *revelat* has been inserted after an erasure. A. looks like *scibat*.

<sup>4</sup> *Briccii*, Higd.

Of Sweyn,  
and the  
Danegelt.

Contest  
between  
Ethelred  
and Ca-  
nute.

Of Ed-  
mund  
Ironsides.

Sed Swanus rex Daciæ exsecrabiliter hoc vendica-  
vit. Iccirco rex Egelredus de consilio procerum solvit  
Danis tributum xxx. millium lib. pro habenda pace.  
Dani innumerabilia mala in Anglia illis diebus exer-  
cebant, quæ in Cistrensi Cronica describuntur, et  
propter suam magnitudinem hic omittuntur. Interim  
post mortem Swani, Canutus filius ejus successit. Et  
Angli hoc audientes mittunt ad regem Egelredum in  
Normanniam, et promittunt ei si benignius solito se  
vellet habere erga eos Canutum excluderent, et ipsum  
præferrent. At ille promissis aplaudens misit Ed-  
wardum filium suum pro pace in Angliam inter ipsum  
et proceres firmanda, postmodum ille veniens Canutum  
de Lindesheia profugavit, sed in aliis partibus multa  
mala exercuit.

Rex Egelredus ix. kal. Maij Londoniæ defunctus est in <sup>Higd. vii.</sup>  
ecclesia sancti Pauli sepultus, post cujus mortem proceres <sup>99.</sup>  
regni cum clero stirpem ejus abhorrentes apud Sowthamton  
Canutum recognoverunt regem suum fore. Quibus ipse jura-  
mentum præstitit fore illis fidelis dominus secundum deum  
et sæculum. Londonienses cum nonnulla parte procerum  
Edmundum ferreum latus filium Egelredi in regem  
erexerunt.

Rex Egelredus genuit de Emma filia Ricardi primi,  
ducis tercii Normanniæ, duos filios, scilicet Alfredu <sup>Twys. col.</sup>  
et Edwardum confessorem, et de una alia uxore <sup>2316</sup>  
habuit Edmundum ferreum latus qui sic dicebatur  
propter probitatem suam, cujus sagitta nunquam in-  
cassum reversa neque gladius in vanum extractus aut  
lancea quandocumque frustra vibrata. Iste Edmundus  
nunquam rediit de prælio absque victoria, si prodicio  
Edrici comitis Devonixæ seu Salusburgensis non inter-  
venisset.

Nam Canutus interim Londoniam obsedit, sed inde <sup>Higd. vii.</sup>  
repulsus in Dorsatania<sup>1</sup> juxta Gyllyngam<sup>2</sup> cum Edmundo <sup>100, 102.</sup>  
dimicans vincitur: et post hoc in æstate Edmundus cum  
majori exercitu in provincia Wicciorum contra Canutum

<sup>1</sup> *Dorsetania*, Higd.

| <sup>2</sup> *Gillyngam*, A.